

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Optimo uiro Georgio Spalatino, amico plurimùm colédo, Philippus
Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

partus coniugis Erasmi: quàm sentiebam, cum nunciari mortem filie audirem, quæ mihi fuit charior uita mea. Nondum liberata est periculis Erasmi cõiunx. Et mulieres aiunt foetum in aluo extinctum esse: qui si eximi non potest, matri mors certa & atrox impendet. Deum æternũ patrem Domini nostri Iesu Christi oro, ut mitiget priuatas et publicas miseras. Non est extrema malorum mors: sed hoc genus mortis multo tristius est ipsa morte. Coniungite uota uestra cum nostris. Bene & feliciter uale. Die quo Lazarus in uitam reuocatus est, ut nunc Paschatis tempora numeremus 1547. Serueste.

Optimo uiro Georgio Spalatino, amico plurimũ colẽdo, Philippus Melanchthon S. D.

Scis hæc tempora, Spalatine optime, in primis ferrea esse pauperibus scholasticis, quos oportebat foueri à Principibus & à Rebus publicis. Sed cum à potentioribus negligantur, nos, sicubi possumus, eos iuuenus. Hic Coburgensis adolescens N. N. bono ingenio præditus est, & in Academia quadriennum iam uersatus, ac in literis bene promouit. Audivi nescio à quibus, in uicinia uestra desiderari alicubi scholarum moderatores, aut hypodidascaulos. Si alicubi potest ei nidus inueniri, rogo ut eum adiuues. Bene uale, 3 Decembris, Anno 43.

11 5 D. Geor-